



Serus in Cœlum redeas, diuq; Lætus intersis populo Quirini.

B. Schraman del. B Kuza

GRATULATIO PANEGYRICA

QUAM

EMINENTISSIMO, CELSISSIMO,
AC REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO

GUIDOBALDO

EX COMITIBUS

DE THUN,

S. R. E. CARDINALI,

ARCHIEPISCOPO

SALISBURGENSI,

SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO,
EPISCOPO RATISBONENSI,
AC TRIDENTINO,

S. R. I. PRINCIPI,

NEC NON

S. C. M. AD COMITIA IMPERIALIA
PLENIPOTENTIARIO &c.

Ad ſingulas Dignitates meritiſſimò acceptas

Ex humillimo obſequio

Pro Novis ANNI M. DC. LXVIII. Auſpiciis,

Primis itidem Calendis dixerunt

MUSÆ SALISBURGENSES.

Ex Typographéo JOANNIS BAPTISTÆ MAYR, Typographi
Aulico - Academici.



EMINENTISSIME CARDINALIS, PRINCEPS AC DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME &c.

QUis nunc Muſis divinum eſſe genium neget,ipſáſq; vates? Salisburgenſes latuerunt ſilentij propemodum reæ. at ecce! ut ex felici præſagio novum honorem, cæteris, quàm autem multis? ſuperimpoſitum juſto tempore adgratularentur. Itáne juſto? Veterrima equidem religio tam honores auſpicantibus, quàm accinentibus primas anni Calendas ſanxit. Credebántque, Deos illo initio in reliquos menſes decernere: eorum igitur propoſita, qui in melius exorandi eſſent, libis, votis, ſupplicijsque præoccupanda, priusquam in fata exiſſent. Tua quidem Eminent[me] PRINCEPS Honorum frequentia, & magnitudo, ordinem non ſervat, in unum proinde, certúmque diem nunquam cogenda. Dignitatibus increſcere, Tibi cottidianum eſt; ijſque capiendis annum con-

)(ficis.

ficis. Ubi ſcilicet nullus meritorum finis, nec modus etiam præmiorum eſt; atque adeò nec gratulandi. Quotusquisque clarorum Virorum ita Muſas exagitat; nempe ut ab omni ſacro receſſu, condicto velut labore Uni undique complaudant, auresque occupent? Benè profectò audiunt, quibus ſic adclamandum eſt. Noſtram moram, voluntati, an præſagio tribuas; inde æqua, hinc felix eſt. Voluimus enim gravibus Phœbææ illius, & dulciloquæ turbæ apparatibus nihil interſtrepere: & à quamprimum ad Te conantibus, non opprimi. ſimplex noſtra oratio eſt, ac ſine coloribus; tam procul à figmentis, quàm pigmenta his propinqua ſunt. Enim verò ad ſaturam adeò Tuam Purpuram, quid inanis fucus? Nudè ac breviter, ut verum amat, firmamus, quas alii laudes cumulaverunt. quamobrem & poſtremi ſumus. quid verò etiam dicturi? Numeris, litterisque obviam, ac ultrò lætum omen ferentibus: gVIDobaLDo trIDentIno epIsCopo faVsta annI InItIa! Felicitas, quæ Te circumdat, quantum ſuis-

met

met incrementis fermè nimia, videri perinde & periculosa posśit: nisi sacra omnis esset, atque à Diis pro merito largientibus. Hoc titulo jam porro fortunæ securus augeri perge. Decentisśimè, rectéque suprema munera obit, qui non ambit, dignus requiri ad non quæsita. Quod aliud domesticæ peritiæ, industriæq; manifestius testimonium, quàm ad aliena gubernacula rogari? Et, quando honorem non transfert defectus Candidacorum, sed agnitio alienæ præstantiæ? Qui Romano Galero caput haud inidoneum supposuissent, facilè in Italia exercitus esset: Germaniæ tamen Primas, ad capessendum eum primas tulisti. Dignitati Ratisbonensi unica dignitas Tua fuit: non quia aliorum nulla; sed nulla tanta. Tridentum eâdem Te viâ petit, quâ inprimis Salisburgum â summis officiis ad Principatum; inde Cæsar ad vicariam Imperii potestatem; paullò pòst ad purpuratum suum Collegium summus Pontifex; Ratisbona nuper ad suum clavum. Vnde cui non appareat, quàm virtus tua jam sit exemplaris? Non occulto

abs omine ſua in confinia Te trahit Italia. quod ſi ſimiliter præſentimus, tunc demum vota compleverimus. Interea ad ingentes hoſce gradus gratulatoriam noſtram Panegyrin, ſinceriorem, quàm politam, aut exactam, novique inter anni auſpicia ſacratam, eo favore, quo Muſarum aliàs pignora ſoles, accipe. Tibi quidem EMINENTISSIME PRINCEPS, cœptis honorũ incrementis; toti Orbi, paratæ per Te Pacis proventu; Nobis, præſenti tuo aſpectu & fructu novum, felicémque Annum comprecamur. Vale, & vive, ut hactenus laboraſti, univerſis. Salisburgi die 13. Januarii M. DC. LXIIX.

EMINENTISSIMÆ ET REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS TUÆ

Humillimum

Collegium Benedictinum
Univerſitatis Salisb.

I.
IPSE VIAM REPERIT.







Agnum adeò nihil eſt, quod præpetes Famæ pennas moretur, aut fatiget. Immò celebria multò promptior eſt, ut excipiat, latiúsque in Orbem differat, excuba ſemper, nec vel in arcanis uſquam diſſita Magnatum arbitra. NON ENIM TENEBRÆ, NON SOLITUDO OBSTAT, QUO MINUS IN VULGUS DIMANET, QUIDQUID EGERIT PRINCEPS. Eademnum ergò cauſa eſt, cur grandia Principes, & ſibi tantùm paria exquiſitis agant ſtudiis? at natu velut magna ſunt, quæ à magnis; eóque conſpicua, dum eminent. Fama verò etiam in longinquum exponit; Facítque ut talis virtus, non montium inſtar, & ſuos nempe intra fines tantum appareat. Fulgebas jam olim Salisburgi futuræ ſpei manifeſtis, ac Purpuram prælucentibus virtutum radiis Eminent.[me] Cardinalis, velut pulcherrima in ortu aurora, utíque plenum, totúmque ſimul diem mox Cœlo illatura. Non magis igitur quàm ſol, ſagacem latere Deam ornamenta ſic illuſtria poterant, quin volucria ſua negotia in totum fermè terrarum orbem quam primum expediret. Jámque poſt admirantem Germaniam præclaras Italiæ oras, jam omnem Romæ viciniam, denique & ſacerrima Quirini penetralia eximiis GUIDOBALDI præconiis implevit, velut uni ſervitium pacta. Utinam verò, ſicut rebus levibus hoc Numen ſæpè nimium eſt, maximis etiam ſufficeret! Omnia quidem, quæ ſummos gradus excedunt, ſuummet etiam encomium ſolent. Exteri Hercle, quibus omnis in ſolâ famâ ſita fides eſt, inſolita facta facilè pro fictis habuerint. Illi ergò integram rerum tuarum I.


 ſeriem

ſeriem meritò à nobis exigent, ut inquilinis, & exempla præſentia coràm expertis; perinde nec famæ, aut fidei periculo laborantibus. At earum magnitudine tamen, ac ſplendore præſtringimur: quemadmodum qui ſolem quidem omnem conſpicientes, haut ſingulos item percenſent radios. Tentamus nihilominus, non ſolemnem autem Purpuræ acceptæ pompam exponere, quâ ante Te, & nunc Tecum multi eminent; ſed cauſas, quibus Tu ante quamplurimos. Neque enim laudabile eſt dignitates adipiſci, ſed quantis meritis. Ea ſi pauciora, ſeu parcius deſcripta inveneris: quòd deficeremus, copia fecit, quæ ſemper ſolet obruere. Si concinna minùs, minùſue compoſita: tum verò demum perſuadeberis, inter gaudia & plauſus, ubi nulla mens ſatis conſtat, concepta eſſe. Quid, quòd ita ſerò, ac jam poſt alios accinimus, præ omnibus Tui? Primùm quidem in tanto Tui deſiderio quomodo, ut liberis opus eſt animis, plauderemus? Deinde ad ſingularem tuam laudem pertinet, poſt aliorum in eandem ſtudia, nobis ſuperfuiſſe. Sed nec poſtremi ſumus: quoniam poſt noſtra, plures utique alii arcaniora, eóque magis digna in lucem, ac tuam gloriam ſæpè ac ſerò emolientur: ÆTERNUSQUE HONOR ANNALIUM, NON HÆC BREVIS PRÆDICATIO COLET.

II. Principibus cœleſtis origo eſt. propterea, etſi inter mortales, tamen ſupra habentur: eorúmque majeſtas & cultus ſecundùm Deos eſt. tum quia in ſubjectum orbem poteſtas, ſimillima omnipotentiæ videtur; & generis antiquitas, æternitati. GUIDOBALDUS nullâ parte mediocris, inſigne argumentum eſto. Natales Illum à multis ſæculis jam Illuſtriſſimi ediderunt. ut ne miremur, vel Sereniſſimis nunc præfulgere: proſapia eximiè ſublimis; unde Is Celſiſſimus: Eminentiſſimum denique enixa virtus eſt. Origo THUNNENSIS Clariſſimæ Gentis, longiùs in

II.
TENDIT IN IMMENSUM.





in ſeſe retrovoluitur, quàm ut primam aſſequamur. Principale Nobilitatis decus eſt, faſtis & Imaginibus ævo fatiſcentibus notari; maximum, annalium notitiam uſúmque præueniſſe. Tum verò immenſa ea, ac genuina nobilitas eſt, cùm aliter, quàm virtute metiri non poſſis; neque Majores, niſi ſecundùm poſteros cenſere. Philoſophorum Principi NOBILES VIDENTUR ESSE, IN QUIBUS MAIORUM VIRTUS INEST. Tantæ ergo progeniei quid curioſi initia petamus? quæ pridem utique fuiſſe, & non alia, quàm fortia debuerunt, ac laudabilia; nec enim in ignavis duratura: Siquidem NULLA NOBILITAS INTER MALOS EST, SED INTER BONOS TANTUM VIROS: Sic Euripides Thunnenſium authores ex obliviosæ, aut ſæpius incuriæ vetuſtatis umbrâ in lucem ſupra populum, & vulgus educit. Tredecim antè ſæculis, (quantus temporum receſſus!) S. Vigilius Româ ſecum Thunnenſes Tridento invexit jam eximiam nobilium gentem, Pincernæ tunc officio fungentes, adeò & in aulâ jam fulgentes. Ab ævo & loco genus æſtima: à Duce, comitum integritatem. imò à purpurato nunc tanto Succeſſore S. Antiſtitis conſtantem vivámque ſuum erga Tridentum curam; deinde tot per ætates continuò meritam Thunnenſium virtutem. Interceperit rudior, vel afflicta antiquitas primorum nomina aut facta vitæ lucique debita, tanto tempori iniquè culpam imputes: fecit, quod neceſſariò ſolet. nimiis annis ne columnæ ſatis ſunt ſaxeæ, ut earum faſtigia dilabantur. Poſtremis tamen è reliquiis, etſi capita non appareant, conjicitur, quàm celſa olim ſuſtulerint. neque æſtimatio cum illis cadit, jacetve, ſed exſurgit. Superſtes Gentis huius numerus, uti fructus eſt ſepulti: tam certa ſpes & germen eſt futuri. Veterrimi licet authores partim laterent: tam glorioſo ex incremeuto patet tales fuiſſe. Præcipua gloriæ pars eſt, nobilitatis principia meminiſſe ne per monumenta

posse. antiquissima enim ætas, simul simplicissimè sincera fuit, nec ambitiosa quid jactaret serò victuris, sed quid quamprimum strenuo exemplo esset; suis annis, quàm suorum annalibus intenta. Ergò Romæ hoc genus ita pridem inter nobiles, id est, Equites, etiamdum verè Romanos, cultuque egregio; quibus sublimè à vulgo stare, atque præstare oportuit? Satis dictum. vel hodie in hanc historiam divertenti obvium est, quanti ea tunc apud Quirites dignitas. Quis non miretur generosam adeo vicinamque Diis senectam? Præclara illa Thunnensium prima monumenta ex luce Vulcanus in fumos cum Fortunâ abstulerit: non perinde extinxit, vel tum mobili illo Numine nobiliores, cuius invidiâ digni, maioresque fuêre. Subductis ad unum usque ex vitâ Fabiis, Quintus virtutis hæres, posteritati & memoriæ solus super, satisque fuit, à quo genus universum censeretur. Thunnorum præstantia semper plures servavit, quàm ut deficere possent; semper illustriores, quàm ut latêre. Ecce enim Conradum de Thun antiquitate ac religione celeberrima illa Eremus, ac Helveticis jugis incubans admirandæ Virginis felix Ædes Ill^mos inter suos Principes & Antistites numerat. quem verò illa, nisi sanctæ suæ dignitati parem? Eò usque Eminent.^me Princeps, Gentis tuæ gloria venit, ubi primas Tibi ipsa ad Salisburgensem hunc Præsulatum invidere videatur; nisi secundæ digniores forent: quoniam eodem in sanguine honoris incrementum à frequentiâ præstat exemplorum. Sagaciores fasti jam pridem Gentili tuo Archiepiscopale hoc Pallium, hanc Mitram imponunt. imponunt & fallunt, qui non asserunt; Ottonianis scilicet illis turbis, & vicibus confusi, deceptique. Secundus igitur ex Thunnensibus Juvavi summus es Antistes. Secundus. nempe felix; & numero, quem primus non habet, fœcundus. Rarissimum verò, atque huic sanguini certè unicum virtutis, honorisque sit

speci-

III.

TANTUM CONCEDIMUS UNI.



ſpecimen, tria capita eodem non ſæculo, ſed anno, ſeptem præcipuas geſtare Inſulas, atque ex oſtro inſuper galerum. Quanta Capita! quæ ſingulis tantis mitris decentiſſimè quidem, necdum ſatis tamen dignè, aut pro meritis ornentur; pro ingenii, prudentiæque magnitudine non opprimantur.

Suum cuique ſiderum decus ineſt: nec viliora III.
ſunt, quantum aliqua non emicant. Sol ipſe utiliori luminis fructu, non item meliori origine conſtat. Tantus illi reliqua inter ſidera ſplendor exoritur, ut collucere non poſſint, quanquam & ſidera. adeóque Sol quaſi ſolus ex innumeris Cœli ornamentis. Admitte Clement.[me] Princeps, ſi Te inter cognata tua Aſtra, quidni enim aſtra? ſic magna, ſic ſublimia, ſic fulgida. ſi Te ſolem, ſolúmque inter illa ſuſpicimus. Stellis nulla injuria eſt, paribus cum ſole radiis non fulgere. quis enim orbis tot Phœbea ferret incendia? Neque aſtrorum decus ille imminuit, quòd excellit: ita Genti tuæ, quamlibet Illuſtri nihil ſuà de luce decedit, quando accedere Tibi non poteſt; & cùm Tibi cedit ſoli. Nihilo Tui minùs eminent, quòd Tu es Eminentiſſimus. Inde etiam ſole maior, quia cæteras faces non extinguis; & facis apparere. quin tanto ſingulariùs dilucent, quanto Tibi propiores: propioribus non invides, quia ſuperas, contentus prælucere. Familiarum, quæ & annis & ſobole grandem in numerum crevêre, vix una non unum aliquando, rariúsque tulerit exemplum: vix altera ſimile. Validiora huic generi capita proveniunt, atque ad ferenda quævis graviſſima novæ vires. Atlas, Poëtarum fide, veterem geſtavit orbem, ſed Hercule ſuccollante. Hac noſtrâ prodivit è progenie, qui, poſtquam veteri acceſſit novus, tantundem aucto ſufficiat ſolus. Fortè Sigiſmundus de Thun in tantæ laudis cenſum aſſurgat. Ille equidem duorum Cæſarum Orator, quando de fide ferè actum erat, ſummiſcum rerum ſacrarum arbitris Tridenti ſatagebat. Uno ſit

maior oportet, quisquis duos referre poteſt. quantus, ſi & Cæſares? Magnates, cùm aliàs cauſſæ ſuâ quidem præſentiâ dignæ, opportunæque ſunt; libentius tamen eos ad negotia delegant, in quibus feliciorem, quàm in ſeipſis peragendi facilitatem norunt. Unde Oratorem æſtimes, à quanto, ad quanta negotia deſtinetur. Num palmam Sigismundo Chriſtophorus Simon in dubium vocat? Pluris nimirum exiſtimari, qui Cæſari præcepta dederit, quàm acceperit. Iſto duce Ferdinandus Tertius brevi anteire omnes; immò & parendo didicit, quid cunctis imperaret. Quando autem ullius unquam alterius tanti intererat, accuratiſſimè ad ſceptrum inſtitui? uti qui exorbitantes undique provincias in ordinem; totam Imperii amplitudinem fame, bello, extremis malis omnibus periclitantem, in ſecuram quietem; univerſam demum Germaniam miſerè direptam, diruptámque in integrum (quis labor, quod opus!) reducere deberet? Certum eſt, docentis, ac diſcentis felicitatem vices requirere: & hanc in tirone pro indolis celſitudine, aut humilitate ſurgere, vel jacere. Plebeiis, quibus omnia magna, adeò & ingenia, ab laborioſâ ferè fortunâ obtingunt, neceſſarium eſt erudiri: Principes naſcuntur tales. Propterea, quidquid addiſcunt, iis ſuperfluit; ut magiſterium ſæpè certet cum naturâ: & dubites, UTRUM EFFICACIUS SIT AD RECTE VIVENDUM BENE INSTITUI, AUT FELICITER NASCI. Nemo tamen inficietur, Magnos iſtos, donec parvi ſunt, opus habere ducibus: quóque altius caput gerunt, fortiùs illidi, ſi liberè errent, vacilléntque. In Magiſtrum verò redundat, quantum boni malíve tiro hauſerit. Gratia quidem illi ſemper debetur, dummodo ſemel hunc ad frugem duxerit. aliqua, ſi quandóque revertentem; integra, ſi manſurum. Itáque Auguſt.mus Ferdinandus ex Chriſtophoro æſtimandus: ſed huic etiam ſua gloria ſecundùm Ferdinandi magnitudinem accenſenda

IV.
OMNIA PRUDENTI.



ſenda eſt. Ex Helveticâ germanæ fidei illâ gente Author eſt, THUN ibi nominatam olim urbem ſtetiſſe, eodémque nomine Primates illius viros, & genus. Horum aliquem in aulâ Bizantinâ ſummum Miniſtrum; deinde Orientalis illius Imperatoris tres annos captivi vicarium, veriùs utique ipſum Cæſarem egiſſe, & permanſiſſe. Nihil Hercle glorioſiùs. Tantos per gradus denique ad GUIDOBALDUM pervenitur: qui hodie ſub Occidente ſole, quantum Imperium protenditur, rerum ſummam, dici haut poteſt, quantâ ſuâ cum induſtriâ, noſtro autem fructu, prope ſexennium gerit nec dubium, quin Eoum illum gentilem ſuum regiminis difficultate, longiſſimè verò communis in tot laborantes prouincias, beneficii merito antecellat. At quantum ſceptro pondus accedet, ſi tres Inſulæ ampliſſimæ? Iſta Eminent.me Princeps hucuſque ad Te ſpectant, quò conſtet non ex latente, ſeu vili, ſed propagatâ in publicum lumen, longúmque auctâ virtute, tantum Te demum totius tuæ proſapiæ, ſed & Jovis incrementum prodiiſſe. Incrementum ſane! Poſt enim Martis Tribunos, Prætores, Legatos, Duces; poſt aulæ Conſiliarios, Oratores, Præfectos, Principes; poſt Sacrorum Præpoſitos, Præſules, Epiſcopos, Archiepiſcopos, in geminâ tandem purpurâ S. R. Imperii ProCæſarem, ac S. R. Eccleſiæ Cardinalem in dignitatum apicem producimus.

Haud ignotum eſt, ut jam olim juvenis, cùm IV.
Ill.mo Salisburgenſi ſacro Collegio adſcribereris, ſummam Tui opinionem dextrè ominantibus injeceris. Enimverò etiam tum ad ſublimia quæque animosè contendiſti, cùm aliàs magnus, ac citra inertiæ notam quieſcere, aut certè remittere potuiſſes. Collocaſti igitur ad altiores litteras ſagacem adoleſcentiam, quamlibet barbato Philoſopho parem: ingenium ex ſanguine celſum, ex Te induſtrium; utrinque mirabile. Quæ enim multum anxia, néque nobilium eſſe, néque è

magnis ſolent: acuta autem, ac prompta ut aſſudent, niſi cùm ſuperare cuncta volunt, haud indigent. Omnia itaque præverti Tibi animus fuit: idoneus Hercle, & felix, quæ velles, adipiſci. Néque alius major eſt, quàm qui difficillima auſit; auſit verò, quæ & poſſit. Specimen nimirum ac ſpem præmiſiſti in hos annos, quando Te Cæſaris inſtar oportet magnum eſſe; nec poſſis tantus, ſi non induſtrius; aut quod propius Genio tuo dictum: facilè, felicitérque laborioſus. Quæ tunc alii inter artes inquirebant, Tu attuliſti: quæ diſcebant, exercuiſti, doctus

Quidquid Democritus riſit, dixitque tacendo
Pythagoras - - -

Abhinc univerſam pœne Europam permigraſti. Multum enim INTERDUM EXPEDIT PATRIAM NEGLIGERE, UT SAPIENTIAM QUIS POSSIT ACQUIRERE. Linguas igitur, omnia præſtantia ad Remp. & regimen momenta, in unum congeſta caput reverſus adduxiſti; ſic peritus extera loquendi, atque gubernandi, velut nuſquam peregrè, ubíque domi fueris. Plurimi in orbem exeunt, haud aliter, atque ut circumeant; vitia conſectantes, tanquam rara, ac perinde ex longinquo acquirenda: pileum, nec adeo caput mutant, ornantque: domum reuerſi, etiamnum hoſpites, atque in Rempub. & Patriam nihil præſentes. Tu diſſitas moratáſque regiones ſic pervidiſti, quò melius provideres olim Tuæ. ex Tullio doctus, AD CONSILIUM DE REP. DANDUM, CAPUT ESSE, NOSSE REMPUBLICAM: domeſticam quidem optimè ex perſpectâ aliarum notitià. Sed enim quomodo nunc Imperii ac Orbis capita duceres, ſi quondam iſta non videres? quomodo demum de orbe rectè decerneres, quem antea non cerneres? ſupremi rerum civilium Magiſtri ſententiâ, CONSILIUM EIUS EST, QUI REI CUIUSQUE PERITUS. Quid multa? Profectus es ut proficeres, atque inde tam perfectus.

Paullò

Paullò poſtquam redux, ab Illmo ſacróque Salisburgenſi Magiſtratu lectus Decanus fuiſti : deinde decumano ſaltu electus Princeps. Nempe ut Sylla primùm Tribunus, qui AB EO MAGISTRATU ALIUM POST ALIUM SIBI PEPERIT : SEMPERQUE IN POTESTATIBUS EO MODO AGITABAT, UT AMPLIORE, QUAM GEREBAT, DIGNUS HABERETUR. In id Archipræſulatûs faſtigium non prodeſt, utut eximiis, tantummodo naſci, quin ſimul & fieri. Iſtam ad utrumque neceſſitatem Tu demonſtras, aut facis. Oſtendis enim Principem merito nullum naſci, qui non & fieri dignus ſit : & Principem merito nullum fieri, qui non & naſci dignus fuerit. Tanta námque ad hos apices virtus exigitur, quæ & inertem Principem dedignetur: néque talem dignari poſſit, qui ingenium paratum quidem, at non jam partum habeat. Dignitatem albi pulli, & hujus mentis multi obtinere ſine dignitate, hoc eſt, virtute poſſunt : mereri, niſi per hoc, quod ipſa eſt, nemo. Ergo in Dignitate non cenſeatur, qui non cum illâ : ubi natalium fortunam neceſſariò jungimus virtuti. quia virtus ad honores ſupremos vix cultu ſolo, ſi non ferè & natu ſingularis, ac tanta eſt. Et quanquam Magnatibus communi aliquâ felicitate celſus animus connaſcatur : tamen etiam hos Numen impariter obligat. Enimvero omnes quidem Magni vulgum; dein & Magnorum aliqui cæteros Magnos; hos demum aliquos pauciſſimi, atque unici & omnium maximi antecellunt. Ita olim cum Salisburgi vacaret, Ill.^{mos} inter Collegas tuos omnem invidiam ſuperaſti, vel nec perpeſſus : ſuffragiis collubentibus ad Celſ.^{mum} Principatum evaſiſti, ſolâ hactenus occaſione minor. Calculis quidem tunc primum apertis, ad potentiam illam publicabaris : communia tamen vota, vix diutiùs diſſimulanda, jam Te diu exſpectabant. Glorioſum erat tot conſpirantium Collegarum calculis deſignari : finiti tamen hi fuerant. ex populo ſi collecti forent, urna nulla ce-

pisset Valdè mirùm illos, quibus eadem honoris tanti spes est, in unum quempiam velut ex decreto convenire. mirabilius; si, quem communis æstimatio diu prætulit, i bi adhuc duret; ubi æmulatio, ejusdémque commodi occasio amicitiam, vel constantiam indemniter frangere, nam occultè potest; ac propterea ferè solet. Tutissimum igitur novo Principi auspicium Tibi, solatiúmque fuerat: antea censeri, quàm vocari. EST ENIM DEMUM VERA FELICITAS, FELICITATE DIGNUM VIDERI. Tunc

Pulchrum est digito monstrari, & dicier, Hic est.

Quò autem universa esset, illa Tui in fatis etiamdum, & arcana designatio: sincera, ac prope infans juventus sua quoque vota ominabatur, seu omina vovebat. Non indignabere Clement.[me] Princeps, in futuram tuam dignitatem lusum, sed seriò prælusum. atque ut certiore Numinis indicio, ac eventu: ab innocente turbâ. Puerorum etat. & ex his ferventior unus, cæterísque sacræ rei autor, an vates? Kalendarium quasi necessariò furto aufert in publicum trivium: socios cogit, solemnem ludum docet, ac indicit jam initiò plaudentibus, atque opus contentiosè festinantibus. Longa illa charta, in quâ Canonicorum series, forficibus, cultrísque singulariter discinditur. Hinc nequicquam ambitiosè sibi nomen ac personam priùs quísque suscipiunt, quàm distribui potuisset. Viri, fæminæque multi obviam stare, opperiri quorsum operosa ista Comitia evenirent: cùm negotiosus ille Director, de ordine, officiis, sed antea fidem prædicat. cujus qui sacramentum neglexet, ei longâ posthac arundine, nucibúsque interdictum esse. Excipiendis suffragiis supinatus pileus pro urnâ fuit; & longiùs in aggestum ad aræ instar, cespitem sepositus: ut haberent nempe, quò procederent, apud spectatores fructum authoritatis captaturi. Igitur personam sumunt, & silentium: ingrediuntur, illâ quisque cum Majestate, quâ futurus Princeps: calculos ritè

ponunt:

ponunt: hi, quibus commiſſum eſt, ſcrutantur, computant; & ſuperante numero ſolenni formâ & plauſu GUIDOBALDUS proclamatur. Claudite ſcenam pueri! Haut nugas nugati eſtis. Superi veſtrum modum! Itane vos ſeria; ſacra? Sincerum ſcilicet numen per ætatem ſeſe explicat, quæ non fallit: per talem, quæ innoxia, legumque infracta, Principis integritatem præfingit. Et quia ex pueris omnes, &omnia: non aliud propius, certiusve omen Princeps habeat, qui omnibus omnia. In avibus olim ad Imperia indicium & religio ſteterat, ut volantibus, ut paſcentibus: nullum ſanctius omen, præut in noſtris iſtis pueris ſic auſpicatò volentibus, ac poſcentibus. Merito ſibi Magnates tam ſecura ſacraque Dignitatis auſpicia gratulentur: quantum adeo & manifeſta? Siquidem nihil aliud tale omen, quàm divinæ, ſed arcanæ deſignationis argumentum eſt. Neque dulcius, aut tutius Principes imperium, cives obſequium capeſsunt, quàm deſtinatum. Atque tum illi ſe potentes æſtimaverint, quando à ſuis non temerè, aut ſtudio correpto tales cenſentur, ſed decreto. In honoribus conceptâ dudum opinione primum eſt, mutare mores. Mutare? at Principis, quo nutante & mutante, cuncta nutent & mutent, maximum conſtare. Deinde amore quoque excidet; ſi iis moribus, propter quos dilectus eſt. Mutaſti. Non aliter autem, quàm tantis gradibus augendo, quantis ipſe nunc à Te, nuper Illo, diſtas. altior, necdum alius: & POST TANTA NOMINA QUOD AD TE PERTINET PRIVATUS. Quo manifeſtum eſt, virtutes firmas fuiſſe, quæ in dignitate non defecerint: & antea jam ſuffeciſſe. Verum, & Conſule dignum verbum: TUNC VERISSIME JUDICARI, MERUERIT QUIS HONOREM, NEC NE, CUM ADEPTUS EST. Ante hac Princeps noſter benignus fuerat? nunc eſt Clementiſſimus. Prius civilis? jam Gratioſiſſimus COMITATE, ET ALLO-

QUIIS OFFICIA PROVOCANS; adeo non exigens. & ſervitio apud GUIDOBALDUM vix nomen eſt. Summos ſuavi facundiâ, imos devincit gratiâ. HÆRET LATERI, QUISQUIS ACCESSIT. Rectè de ipſo loqui non poteſt, qui nunquam cum illo.

V. Non autem affabilitatis largus eſt, ut muneribus parcat.

Nil negat, & ſeſe vel non poſcentibus offert.

Nec, ſi rogaveris, quæ impetrare non debeas, negabit: ſed acceptiorem comitatem in medium feret, ne excesserit. Concedere enim, quæ ineptè largiatur, inconſultum; negare, tam potenti modeſtiæ faſtuoſum eſt: ac interim plerisque modus ad dominii argumentum. Ex munificentiâ quidquid in lucem fructumque publicum collocavit, oculos occupat, & admirantium cogitationes. Ex ſimili fonte, quali nunc Juvavus, Europa non bibit: tali in Hippodromo generoſos equos non agitat. Spectanda etiam ſumma eſt Baſilica; quanto marmoris opere, utrimque aulico eam palatio injunxerit. Unde advertas, bonum caput habitare, ubi cum Deo Princeps ſub eodem tecto; Templum & aula una domus eſt. Parciusne verò munimenta, armaria? Libertati GUIDOBALDUS & paci orbem aperit, ſuam urbem occluſurus? Satis non valent, qui nimium vallant. Quæ alii Principes in metum habent & præparant, hic noſter feſtivè explodit. Exteros colit, ſuos amat haud aliâ viâ ſecurior. quia UNUM EST INEXPUGNABILE MUNIMENTUM AMOR CIVIUM. &, MUNIMENTO NON EGERE. In hoſpites, quàm hoſtes utiliùs profunditur. Hi ſummis impendiis, ſi Dii quidem volunt, vix tamen conciliantur: illi amici jam ſunt, & poſtea firmiores; præ omni ſanè pretio habendi. ETENIM CUM PLURIMIS AMICITIIS FORTUNA PRINCIPUM INDIGEAT, PRÆCIPUUM EST PRINCIPIS OPUS AMICOS PARARE. GUIDOBALDUS exquiſitâ, ut non obviâ liberalitate

litate

V.

CUNCTA REFUNDIT.



tate amicos parat. immo, si eo cum nomine manerent, compararet. Quotusquisque est Principum, qui, si tot hospites, etiam tantos excipiat? si tantos: an simili etiam munificentiâ? Inde nec vicinis Principibus tanti quisquam aliorum, præut noster fuit, cùm visitaverat. Certamina, pompas, (libet licétque dicere:) triumphos propemodum vidimus de amicitiâ. Invitavit? invitatus est. lautissimè coluit? similiter cultus est; eo tamen discrimine: ut de aliis liberalitas, de GUIDOBALDO prædicaretur, & vocaretur munificentia. Hæc Augustmo LEOPOLDO Imperatorio cum comitatu plures in dies, mirum si sufficiens, at etiam superflua fuit; atqui tam & grata: ut sive libenter cœptum iter morantem, an illas delicias mirantem; saltem volentem non modò attineret: sed mox è Tyroli reversum in idem hospitium & lautitiem, veluti constrictum retraheret. Fatebantur Palatini ibi sese cum Cæsare esse. Nemo, vel cùm à Cæsare inimico caperentur urbes, tantos Martis audivit plausus: quantos cùm amicus Cæsar caperetur ab hac urbe. Quis ex advenâ illâ multitudine credidisset, primæ aliquid magnificentiæ in alteram superfuturum? at verò splendidior semper, & gratior, quæ postea edebatur. Quælibet dies novo obsequio festiva, Hospitis gratiam, mirum quantum proliciebat: quare non undequaque contentus modò, verùm etiam recreatus demum abibat: commodùm expertus, cum maiestate esse, cui suam ad Comitia commiserat. Frustra largioribus verborum impensis liberalem GUIDOBALDI beneficentiam è solo Cæsare æstimemus: nam huic omnia debentur; nec imputari quidquam potest. GUIDOBALDUS nondum Princeps, jam ad instar largiebatur: vel solo ominoso eo argumento postea futurus. Unicus tamen Cæsar, omnium caput, liberalitati eius hactenus deerat, quò minus summa esset. simul is accessit: mox augustissima fuit. Ut Cæsaris genio

D cuncta

cuncta ſint nata; perinde Salisburgi nihil illi, quanquam adſtructa inter, ac excogitata prandia, ad delicias forſan ſingulare: manifeſtò tamen apparebat, non alibi tanto cum guſtu, compoſitam adeo, validamque ſuavitatem hauſiſſe. Inter plurima, quæ oculis, quæ auribus adornabantur, gratiſſimum obveniebat, præſente & colloquente Archi-Epiſcopo frui. Tunc Juvavium verè felix, ſuâque famâ dignius ab hoc capite cenſebatur, ad omnia erecto, ad omnes demiſſo. Nempe CUI NIHIL AD AUGENDUM FASTIGIUM SUPEREST, HIC UNO MODO CRESCERE POTEST, SI SE IPSE SUBMITTAT, SECURUS MAGNITUDINIS SUÆ. NEQUE ENIM AB ULLO PERICULO FORTUNA PRINCIPUM LONGIUS ABEST, QUAM AB HUMILITATIS. Ecce! dum ultra priſtinos honores Gratiosme Princeps nihil cogitas, aut nec potes: Cæſar Imperialia Comitia cauſis diutius non ferentibus Ratisbonæ inſtituit.

VI. Turbaverant Imperii ferè omnes ordines: diſſidebant provinciæ: inſtabant, ut tunc maximè ſolet, barbari, frameati hoſtes. Principes rerum capita odio, invidiâque diſſenſi, auxilia, operam, manum negabant; certè fatali jamjam obſtinatiâ differebant. nocentiores in periculis præſentibus auxilia morando, quam hoſtes occaſionem ſic obnoxiam feſtinantes. Quis in medium & ſolatium Hercules? Neque verò etiam ipſe. Nam hac parte iſta negotia difficiliùs laborant: quòd illi, qui poſſunt quæ velint; eò permovendi ſunt, ut aliter velint, quàm poſſint. Uno verbo animi ſubigendi ſunt. qui ſingulis Principibus à fiduciâ virium ad propoſita potenter obfirmati; Provinciis, & Rebuspp. multi, ac varii. Animus præterea res eſt occultiſſima, & quæ alia minus penetrabilis? igni, ferro, etiam auro fruſtra petitur, quando induruit, prorſus nullo ſolubilis medio, præterquam ſolâ, ſed potentiori ratione. Ingenium ergo omnibus prævalere debet, quod omnia

VI.

UNICUS HUIC ONERI.



omnia ſapienter convincere: unum eſſe, quod cætera in unanimem nexum convincire. Ita PACIS INTEREST OMNEM POTESTATEM AD UNUM CONFERRI. Imperatorium id munus fuerat. at ille domo tunc abiret? Barbaris patriam cederet jam imminentibus. Maneret? Comitia procul agenda, ſine capite, ſine nervo, & nullo cum ſucceſſu erant. Cæſar ergo curis undíque & continuò ſuperfluentibus aptiſſimum ex ingenti Principum coronâ circumſpicit, qui ſuccollet. poſſe fortunam cauſas, caſúsque aggerere, qui premant Majeſtatem. NEC UNIUS MENTEM ESSE TANTÆ MOLIS CAPACEM. Nemo tam ægrè curanti LEOPOLDO non condoluerit: nemo non vices utíque fatigando, neceſſarias agnoverit: GRAVISSIMOSQUE PRINCIPIS LABORES, QUEIS ORBEM TERRÆ CAPESSIT, EGERE ADMINICULIS. Promtum tunc ſolicito Monarchæ haut fuerit, quem tot è Magnatibus potentiâ, rerúmque notitiâ, eò & ambitione certantibus, unicum deligeret; ne reliquos infra habere, certè præteriviſſe videretur. Quin ægrius forſan angebatur, ut humeros tanto oneri nullos inveniret. facilè enim poterat MEMINISSE, NULLAM TANTAM POTESTATEM CUIQUAM DARI POSSE, UT NON SIT GRATIOR POTESTATE LIBERTAS. Ita cogitanti, atque ultimùm ſtatuenti LEOPOLDO GUIDOBALDUS in ſententiam venit, CERTIUS SAPIENTIS EXEMPLAR, QUAM HERCULES ET ULYSSES. GUIDOBALDUS? Sic, Prudent.me Princeps, ſic Imperator decernit: CUM ABUNDE EXPERTUS ESSET, QUAM BENE HUMERIS TUIS SEDERET IMPERIUM. an Romani illius alteriùs conſilio? IN CUIUSCUNQUE ANIMO VIRTUS INSIT, EI PLURIMUM ESSE TRIBUENDUM. Plus Imperii mole non poteſt. Cui ſapienter propterea, quod parem Cæſar agnoſceret, Te præfecit. Ita enimverò ſibi PROSPEXERAT, NE DESIDERARETUR. Quantæ autem hoc exiſtimationis

argumentum eſt: à Supremis, cunctos deinde Status, Ordines, infinitam, hoc eſt, Romani Imperii multitudinem, ſuper hos, ipſummet Imperatorem unius ſeſe fidei credere, nec non ſubmittere? Propius audaciæ, an veritati, certè vatis verbum eſt:

Famulatur omne, quidquid eſt, Prudentiæ.

Jam Sapient.[me] Pro-Cæſar, ex Te tuum famulatum, ex hoc, Te ipſum computa.

VII. Optimus quiſque Principum meritò cenſetur, cujus peritia, ſuæ modò provinciæ ſufficit; ut non abundet. GUIDOBALDO anguſtum adeò Salisburgum eſt, ut Dignitatem auguſtiſſimam impleat. Scivit LEOPOLDUS MAGNA NEGOTIA MAGNIS ADIUTORIBUS EGERE. Itaque Tibi Eminent.[me] Princeps, propriâ, potenti illâ manu ſcriptis litteris, ſuas vices & bonum publicum commendavit. Submiſſiſſimè verò excuſaſti, ab acuto civilis experientiæ Magiſtro doctus: MODESTIÆ FAMAM, NEQUE SUMMIS MORTALIUM ASPERNANDAM, ET A DIIS ÆSTIMARI. Hæc, (nequa virtutum tuarum modica eſſet:) ad oblatum munus non perſuaderi, ſed repetitis conatibus à Cæſare expugnari tamen potuit. SÆPIUS RECUSARE, AMBIGUAM, AC POTIUS ILLAM INTERPRETATIONEM HABET, TANQUAM MINOREM PUTES. TU QUIDEM UT MAXIMAM RECUSASTI. Igitur victus altâ ſine dubio illâ conſideratione: DIGNITATI ESSE SERVIENDUM, REIP. CONSULENDUM, OFFICII RATIONEM IN OMNI VITA ESSE DUCENDAM: propria communibus, Tua omnibus, ac Te Imperatori ſubjeciſti. MAGNUM HOC ERAT, CUM PROMITTERES, MAIUS, POSTQUAM PRÆSTITISTI. Ratisbonam ſpectatiſſimis comitatus, ac exceptus miniſteriis intraſti. mox ritu ſolemni frequentes inter Imperii Proceres, SOLUS ARBITER RERUM, JURE AC NOMINE imperatorio, dubium gaudia magis, an Comitia auſpicatus; immò certè gaudia. Quorum momenta tum juſtè admetiare:

VII.
UT LEVET, INCUMBIT.



re: ubi tot gentium calentes gemitus, desperata suspirantium vota, altùm jam conflagrantes Germaniæ calamitates, malum denique, cujus nec initia paucis infesta, mox universis ingruebat, ad lancem venerint. In Hungariâ, Moraviâ, Silesiâ incensæ urbes, arces, oppida, villæ, alia alteri suam cladem in proximum prælucebat exemplum: viæ igni & sanguine in parem omnes exitum ducebant, sive exitium. Opulentos priùs quidem divitiæ, quàm hostis in captivitatem, & crucem agebant: quibus nullæ fortunæ, iis omne infortunium fuit. Coniuges fugâ, ferro, raptu divulsi, liberos, qui sensissent, ad immanissimam servitutem; quibus miseriæ arbitrium, aut vires non suppetebant, ad meditatas cædes relinquebant. Militaria auxilia etiamdum nec in spe ulla aderant. quod barbaris hostibus in pace, & ante bellum infensis, furendi tunc impunem licentiam; nostris prorsus desperationem ingerebat. Aquilæ Sedes Austria sic integro adversario perinde impar, ut imparata, tunc trepidaverat, omni simul Germaniâ contremente. Ultima quidem pernicies quamplurimos occupavit: metus, morte pejor, omnes. solumque discrimen, an etiam certamen erat, feliciúsne quamprimùm, an postea mactarentur, à cottidianâ, ingeniosâque sæviendi varietate, exempla sibi semper pejora formidantes. Tu Mitissime Princeps, causam procul adgementium suscipere: ejus gravitatem potentioribus quibusque declarare. quos ex iis idem periculum situ, aut fortè contingere posset; succurrendi necessitate ad properanda auxilia trahere: quos hâc à curâ metúque, potentia seposuisset, aut patria: penetrante facundiâ ducere. atque ubi verbis demum fecisti, ut vellent, ac promitterent: præmisso tuomet ingenti exemplo effecisti, ut illi promissam opem quàm celerrimè expedirent. Confestim nempe pecuniam, arma, cæteros apparatus, adhæc milites submisisti: quorum pretium inde verò rectè computaveris, quod adjumentum Cæsari tulerint.

Fama, ob quantam isthoc è solatio gratiam sperabat, solito pernicior, simul ac excepta est, GUIDOBALDUM ingenii nervos ad publicam tranquillitatem intendere: quis afflictorum non propediem convaluit? qui omnia metuebant, omnia modò sperabant. Incendia, vertentibus ventis adversas hostium domos involatura: direptas, vastatas urbes, nondum satis defletas parentum, conjugum, liberorúmque cædes, totam suam crudelitatem ipsosmet authores conversâ sævitiâ luituros. ex tam æquâ vindictâ, offensis interea solatium, respiranti Patriæ pacem, lætissimum victoriæ fructum exoriturum. Et verò Dii secundùm tuam industriam, exploratis tantisper supplicantium votis, successum dedêre; tanquam parùm clara tua virtus celebraretur: nisi malis extremis, & multæ provinciæ, eæque frequentissimæ laborassent. Numquid enim meriti modus est, uti multos, & quantum flagitantes, obstrinxeris? Tuum utique opus fuit, Potentissimum Galliarum Regem, illum mancipatæ felicitatis Monarcham in medium venisse. Certè hêic victoria simul & virtus stetit. Is quidem totius causæ vacuus, prorsus & periculi fuerat: Sed Tibi concessit; nullâ equidem obsequendi, vetere magis favendi sponte: atque ut eius Majestas cæterùm non vinci, nisi ad gratiam posse videretur. Ejus gentis gravissimo hoc bello Pannonico præstantia æternis annalibus digna est,

- - - *Et in acta referri.*

Celebri dudum encomio, GLORIA BELLI GALLOS ANTE ROMANOS FUISSE, Romanus confitetur. Et ALIA OMNIA VIRTUTI SUÆ PRONA ESSE: CUM GALLIS PRO SALUTE, NON PRO GLORIA CERTARE. Advenerat formâ, equis, armis pulcherrima Juventus. cuius si florem spectasses, integer hortus fuit: si numerum, & animos, exercitus: isque è summis familiis, atque omni deinceps nobilitatis gradu, velut singuli sui Regis vicarii. Eà verò etiam dignita-

VIII.
SIC OPUS EST REFICI.



te & æſtimatione Juvavii à Te Eminent^{me} Princeps excepti, totâque Provinciâ accurati munificentiam tuam in Orbem, poſtremo & ſuam urbem deportavêre. Hic miles ingentia itinerum ſpatia permenſus, tanquam otioſo è contubernio adhuc alacer, infractúsque mox integrum hoſtem petit: partim mergit, plurimos cædit, fundítque: Binâ acie quinquies pœne amplior Thracum numerus victus eſt. Quam cladem etiam Bizantium toleraſſet: niſi univerſæ nobilitatis delecta ſpes propemodum unà concidiſſet. Ita ſcilicet illa gens Gallorum, cuius tunc virtus & palma ſupra dubium, illuſtres quoque, ac pares ſuæ victoriæ victimas cecídit. Ita ſecurum bello finem, ſanciendæ paci faciliora initia, ſibi ſupervicturum nomen, communem omnibus lætitiam fecêre. Poſtremò, quanti inde in Rege maximo erga nos meriti eſt, cuncta iſta beneficia præſtitiſſe: tantidem in Te eſt, ea gaudia, ea emolumenta procuraſſe. Ex unico hoc opere, quod ſolum frequenti Conventu dignum fuit, conjici debet, reliquum extracti temporis impendium quanto cum fructu, quàm TIBI DIES OMNIS SUMMA CUM UTILITATE NOSTRA, CUM TUA LAUDE CONDATUR. Et quanquam pleraque, olim ſcilicet grandibus edenda libris, etiamnum nos lateant: maxima ſint oportet, quæ tam diu, tam ſolerter tractantur, atque à maximis rerum magiſtris. Stupebunt poſteri quando coæva noſtra fides, eáque oculata vix capit, Primatem Germaniæ, potentiâ, libertate rerum omnium natâ, factâque opportunitate feliciſſimum, domeſticis etiam negotiis nunquam vacuum, alienis ſe affixiſſe. quæ ob cauſarum multitudinem laborioſiſſima; ob intricatam varietatem infinita; propter invidiam autem, utut eventus caderet, propè neceſſariam, planè intolerabilia. Quò magis Te adeò, ac jam in ſex annos perdurantem admiremur, ſi tantas difficultates audentem. Quin PROFECTO MULTUM EST, QUOD

PERSEVERASTI : PLUS TAMEN , QUOD NON TIMUISTI NE PERSEVERARE NON POSSES. Comitia, quamdiu Comitia, nunquam tot in annos fuêre. Quem, Dii immortales! quem Cæsar, ex omni, etiam inferiorum hominum numero ad insolubiles hasce moras reperturus fuisset alterum? Equidem ita constaturum neminem. Non paucos Hercle tanti officii solum nomen sic obruisset, ut ne annuerent; vel ad initia jam inviti: & nihil ultra, quàm invitati. Quotusquisque negotia privata non objecisset? Provinciarum siquidem curæ, maxima sua capita implent, onerant, sæpè & inclinant : ut alienas consulto insuper habeant. Satis esse, dum sibi, suisque rectè prospexerint. Inveneris, qui pulvinaria, pinguiaque sua otia continuis illis, acribusque studiis, commoda tædiis, feriantem, jocantemque aulam laborante Imperio minimè commutassent. Comici nempe verbo :

- - - *sese omnes amant.*

Multorum promptitudinem, causarum illigata confusio; tum partium quarundam necessario conciliandarum difficultas, ut non dicamus : & offendendarum certa invidia, retinuisset. Quorundam erga Oratores, ac exteros invisa diffidentia, aut parcior comitas; cæterorum mobilis impatientia, vel hebetudo ad beatum exitum non pervenisset. Pluribus, ingenio aut æri, tanta omnia fuissent nimia. Adeo fortuna quibusdam negotio cœpto; aliis jam antea, spem integri successus præstrinxisset. Verum enim verò, ut etiam rerum prudentia, opes, voluntas alicui adfuerint, & industria. Cui autem alteri, (quod unicum ad operis cuiusque coronam:) sic firma, sic diuturna? Tu nimirum Eminent^me Cardinalis, quanquam futuri molem negotii, simul ac oblata est, quantamquantam penitus, adeò non temerè, præsenseris; postquam suspectandæ ambitioni modestiam præstruxisti : Sola Tibi commensa-

IX.

DONEC SPES ULLA LABORIS.



menſarum nota virtutum conſcientia firmavit, ut ſuſciperes: ſuffecit, ut perferres.

Cæterorum primatum curas, altero tanto, ac graviore pondere excedunt Tuæ: quia civilibus, ſuperſtant ſacræ, eæque ampliſſimæ, tertio jam ab augmento. Hæ mentem quidem tuam ſic occupant, ut juxta tamen capiendis negotiis etiam communibus, anguſta non ſit: intendenda ſanè, quantum valet, bono publico. Huius cauſæ ergò, Magnatibus ea capacior à Diis eſt inſita. Quisquis tantummodo ſuis conſulit, & curat, cæterorum omnium negligens eſt, ac incurius. Tu Imperii difficultatibus præſens, totusque ades. IX.

- - *Pariter ſuades, qualis es,*

Diem noctémque circumdatus. ut quærere libeat, quomodo Provinciam tuam procul; quaſi tamen ſolam, atque adſitam gubernes, nihil remiſſo veteri more, ac proventu. Numquid per ſecluſum ab ſolemni Conventu otium? at nullum ſuperat.

- - *Manè quod Tu occœperis*
Negotium agere, id totum procedit diem.

An per miniſtros vicarios? at ipſe ſingula legis, audis, dictas, ſcribis, imperas. Poſtquam ſcilicet Imperialibus ſic inſueviſti laboribus, ut jam non fatigent: minora quæque, peragis, tanquam nihil onuſtus. Fortean INSTAR REFECTIONIS EXISTIMAS MUTATIONEM LABORIS. Quod ubi vidit Ratisbonenſis Eccleſia, quantislibet curis ingenium tuum ſupereſſe: ſuas quoque, piam impudentiam ſuperante fiduciâ, ſubjunxit. ſub eo, qui pro omnibus exſtat, una etiam ex iis omnibus futura. Feliciter! Mirum enim inter Diœtæ turbas, quantum hanc ſtatim ordinaveris, auxeríſque. Fuitne Infula, quæ non pari exemplo deſideraverit iſtud Caput? At nimium dividi, conſulto ingenium nolebas. tum ut integrius id Cæſari, & Juvavo ſervares: & quò plures eſſent, à quibus deſiderareris. Tunc, quoniam Tibi dotes ſuperfluunt: Paſſavi-

enſis,

enſis, Brixinenſis, aliæque Dignitates ſaltem Tuos, & ex ſanguine petiverunt. Tridento negari Tu ipſe non debuiſti: qui ſolus tot ſæculis emeritam ſpem tam ſerò compenſare potes. Difficilis nulla adeò res eſt, quam deſeras infectam, aut læto ſine ſucceſſu. Quippe,


- - *Ut quisque rem accurat ſuam:*
Sic ei procedunt poſtprincipia denique.

Et verò quid ardui, obicisque impediat, in quotidianâ ad virtutem, nec aliorſum tritâ viâ? In hanc, reliquis, quotquot præis Principibus, Te Illi ut ſequantur neceſſe eſt. Illuc ergo ipſos ducis, ubi Concordia, nulla invidia agitat. Alterius animum, niſi pro eodem pignore, fruſtra integerrimum ſibi quispiam promiſerit. auro, gratiâ, beneficio emptus, inſtar mercis habet: ubi forum eſt, permutatur. Quandoquidem animus ſincerus & liber, divinâ ſuâ dignitate nulli, ac nullâ rerum mortalium comparari patitur: ſuummet ipſe pretium ſolus ſeſe ſibi compenſat. Inde veri integrique amici Alteri-ipſi. Atque iſta demum humanitas eſt: quâ homines, uti ipſa ſimplex virtus, uni inter ſe, iidemque vivunt. aliàs vix homines, aut nec homines cenſeantur. quâ parte enim homines, ſi non humani; aut humani, ſi non homines? Multo autem maximè ſummatum potentia, cùm ſeſe hactenus demittit, mentes capit & homines: quando ſcilicet ſe tales etiam Diis geniti agnoſcunt. quia ſumma authoritas fidem citra dubium; gratiam ultra fidem habet. Præterea Princeps, quotquot mortalium ipſe caput eſt, omnium erga ſe affectus & animos velut ſuos, ſecum ei afferre creditur, cuius amicitiæ ſe immittit. Quid enim Princeps, niſi maximus, ſive plurimus homo? proinde plurimum humanus. Placidiſſimum exemplum, ſimul vivum ſuſpicimus in GUIDOBALDO. de cuius gratioſâ humanitate ſi rogentur eiusdem populares: prope contubernium profitebuntur.

Si

X.

USUSQUE, MODUSQUE CONSILII.



Si quos causa, aut fors obviam dederit: vocat, alloquitur, invitat; & cum ipsis est. Audiat verò, & alloquatur: sed Suos. civile est; & juvat sciscitantem. fidat, ut ne quid alienis: cautissimum. largiatur, ad se cum fœnore lucri, aut gratiæ utique reditura: commodum. sese aperiat, communicet: absque periculo amabile. Inter scilicet Suos ita se habeat. Tametsi profectò solidæ istæ sint virtutes: quia tamen domesticæ, ac solitæ; ferè etiam viles: minúsque ex malâ vulgi, rudíque indole æstimantur; aut nec agnoscuntur. Dignius ergo virtutis testimonium ab externis petemus, quos nemo dubitat, post domesticos, ac parciùs beneficia capere: benignius tamen, & quò minùs his ex consuetudine provenerunt, cum gratitudine arbitrari. At Clement.me Ptinceps, quia pariter ad omnes, sempérque, & ubíque virtutum tuarum totus es. etiamsi tantundem gratiæ alieni hauriant, quantum nos præcepimus: minus tamen Tui non erimus; sed plures. immò nos magis adhuc Tui, quia diutius.

Delegati ad Comitia Oratores, sapientiâ ac dexteritate utique selectissimi experiuntur, quantum Famæ posthac credendum. Hi postquam in serio consessu judicantis prudentiam reverebantur: ad cœnam, & colloquia tua non admissi, sed invitati, discurrentis, atque cum potestate blandientis Principis apertam comitatem demirantur. Ita suaviter PROVOCAS, REDDISQUE SERMONES. & quos lautissimis epulis implevisti: illis affabilitatis adhuc NULLA SATIETAS ADEST; QUANDO SINCERA OMNIA, ET VERA, ET ORNATA GRAVITATE. Non autem inter convivia modò, cor tuum edere soles, ut aliàs clausum, conditúmque teneas; firmiùs amicos non devincturus, quàm in cœnam durantes. Constantissimos habes. ut quos natura tua, non studium paravit. Ad mensam hospites vocantur, & veniunt, ut abeant amici; in posterum X.

rum domeſtici. Quibuſcum reliquam diem laboras, in mensâ item reficis. Unde eos, tam varia quidem ingenia, ſic Tibi conſuefeciſti, ut in maximè diuturnis, impeditíſque negotiis conſtante tuâ induſtriâ, & ipſi perſiſtant: quidquid agitaveris, & illi connitantur. hoc eſt: quod volueris, idem velint, toti amici, & ex animo tuo. Ad difficultates, fiduciâ tui ingenii durant: profuſi impendium temporis, patriæque caræ deſiderium, propinquâ conſuetudine & fructu tuarum redimunt virtutum. Et cùm omnium ſupremus, tamen omnium ames, ſtudeáſque amicus haberi: nemo reperitur, qui non contendat tanti eſſe. adeò amantes, fidentéſque per candorem iſtum invenis, aut facis. NULLUM MAIUS BONI IMPERII INSTRUMENTUM, QUAM BONI AMICI. Quid ſi plurimùm Potentes? Tales quoque HABES AMICOS, QUIA AMICUS IPSE ES. Quis credat, nullo ſtipatum terrore, aut milite, tanta capita, tantas manus ſubegiſſe, niſi capite item, & manu amicâ? Silemus. at ſilemus? quàm novo, raróque gaudio tota Patria conſpexerit, vicinos, ſummos illos Auſtriæ, Bavariæque Principes, Majeſtate ad familiarem, ac lætitiam propè fraternam remiſsâ, longos per amplexus (Tene ſuaves ad hæc ſolatia, lacrumas, ſi potes, ſi cæcus es, Juvave!) mentes invicem illigaſſe: ſic mutuâ gratiâ permixtos, Te inhærere Illis; Hos ſuſtinere, ut detinerentur: poſtremò in abitum divulſos confinia æternæ amicitiæ ſanxiſſe. Dii Indigenæ, Dii immortales, O firmate, ſervate hæc ſancta vincula! Ita præcipuos, ita qui deinde ſunt, benignè pariter excipis, ut capiantur: ſic munificè in omnes exſolutus es, ut obligentur. Verè Tullius: LIBERALITATE QUI UTUNTUR, BENEVOLENTIAM SIBI CONCILIANT. Quam ſi exigis, univerſum pænè orbem ad Quæſtorem vocas. Nam quæ conditio mortalium, aut gradus, tuam apud beneficentiam ſuum nomen non profitetur? Rectè Liberalitas, ſed ante

quam-

quamvis aliam Tua, à Grammaticis ex libertate componitur. In eos munera fundis, à quibus, ut refundant, nec ſperare potes: ab aliis, qui partim poſſent, ſperare non vis. quia principiò Tibi obſtinatum eſt, nihil invicem recipere; nec mercari, ſed largiri: ac beneficium, cuicumque præſtitiſſes, imputare nemini. acceptâ ſententiâ:

- - *Bonis quod bene fit, haut perit.*

Admirante memoriâ dignum, & Principe factum. Quando Auguſt.^mus^ LEOPOLDUS, quando Seren^mi^ alii Duces frequentiſſimis ſuiſcum famulitiis, Salisburgi ingenti etiam miniſterio accurabantur: ſeriò tuis inhibuiſti, ne debita ſervitia præmiis venderent: & quæ officia ex æquo hoſpitibus, & ſponte venirent, ne vænirent. Contra, QUANTÆ CURÆ TIBI FUIT, NE QUIS EXPERS LIBERALITATIS TUÆ FIERET, quem ſemel ad manum admiſiſſes? Planè novo hanc ad rem ingenio, exteros ſupra hoſpitii lautitiem, à primo poſtremum uſque, ſingulos ad memoriam donaſti. & mirum! poſtquam in alienos plurima dilargitus, tuisque domeſticis multam ſpem munerum exhauſiſſe videreris: tantundem reſtare, quàm ſi pepercisſes. Ultimò ut ſupra tua, etiam Te adderes: eadem ingenii, quæ æris profuſio, atqui & ſuperfluitas eſt. Non fortaſſe nemo noſtram audire Patriam ad iſta ingemiſcentem ſibi fingat. meritò nimirùm fore, ut optimum ſuum Principem alienis commodis detentum, tanquam deſtituta ipſa deſideret: iis veluti ſolis intentum, neglecta ipſa invideat. & quia in universâ gignentium naturà nihil amabilius eſſe bono Principe & capite poteſt: nihil item minus tolerabile fieri, quàm ejuſdem deſiderium. Sed verò, quando Imperium GUIDOBALDUS totum curat: præcipua ejus pars Juvavium à felicibus illis curis adeò ſecludi non poteſt; ut ſecus Imperium non totum curet. Cur autem Salisburgum iis invideat, quibus utili cum dignitate commiſcetur?

G Siqui-

Siquidem quantumvis meriti, gratiæque Princeps vicinis, externísve in Regnis ſerit: ejusdem id omne metunt, fruuntúrque Provinciæ. Propterea GUIDOBALDUS, etiamſi ſumptus in domeſticas cauſas facti, computari quidem poſſint; in exteras, vix conjici: alienis promptiſſimus, ſuis parcior videri non debet. Parva narratio Patriam excitet, ac lividum dolorem levet, aut ingratitudinem. Ad perfectum maximæ Baſilicæ ornamentum, centum viginti duo Philippicorum nummûm millia numeravit, largitèr pio principio futura auſpicatus opera. Mox, ut Provincia ſentiret, quantum præſtet Principe frui, quàm Dominum pati: In Patriæ univerſum, diversúmque levamen, ac incrementum, quâ debita exſolvendo, quâ exactiones mitigando, ſupra vigeſies ſexies centena millia Philippûm partim impendii, partim compendii fecit. Quò Succeſſoribus etiam fructûs aliquod, ſeu exempli beneficium locaret: ſolitos reditus plus quinquaginta ſex millibus auxit. extra quem numerum, alpes inſuper, villæ, alia emta, ſtructa, refecta grandi ſuo ſunt pretio. Dubias præterea cauſſas, diuturnis ſumptuoſisque litibus graves, ingenti, ſed pretioſo quóque ſtudio compoſuit, optabili poſterorum quieti, ac lucro. Et quia tanti quiſque cenſetur, quanti ea quæ facit: præter illa, quæ ad aulæ, vel urbis commodum ſpectant: decora certè, qualia una pars orbis, aut nec ipſe habet, publicum hêic ad oculum expoſuit. Præſtantiſſimum in aperto foro Fons, aut veriùs è candido marmore, & arte Mons eſt, pulchræ liberalitatis res, atque ſymbolum. aquam in ſupremâ conchâ natans Triton triginta Stadia canalibus adfuſam in proximas nubes exſpuit, & procul venientibus miracula propinat. Hippodromus alterum, ac Principale decus, vacuato monte, & in Amphitheatri modum cavato, antiquam magnificentiam novo ſtudio æmulatur. Præter Templum, Aulam & alia, Muſas etiam, quas liberaliſſimas ingenio ſuo expertus

hic

XI.
NIL LEVE PRO SESE ET PATRIA.



hic Princeps eſt, pariter itidem culturus, in Collegio Salisburg. Ichthiotrophium perennibus aquis inſigne, addito ædificio ſuppoſuit. Quæ ſimul, ac plurima publico tum commodo, tum ſplendori ducentis fere Philippûm millibus edidit. Monaſteria Religioſorum pauperum, Seminaria, magnóque cenſu alii ex ampliſſimâ hac manu cottidie comedunt, bibúntque. Ei nimirum, QUI OMNEM ÆTATEM IN OPTIMIS ARTIBUS EGIT, BENEFACERE IAM EX CONSUETUDINE IN NATURAM VERTITUR. Ultimò rationem priùs amittat, quàm rationes quispiam inierit, quantum in maximos Hoſpites, quantum hiſce tot annis, in gratiam præſertim Domûs Auſtriacæ, quantum denique in totius Imperii emolumentum; & verò quid æris non profuderit? quando iis ſemetipſum impendit, ſi non & prodigit.

Ingenii quidem opera per ſeſe immortalia ſunt: XI. largitiones plerumque à modo meritum, & ætatem ſumunt. quæ ſingulis donantur, ferè commoriuntur: quæ in univerſos benefeceris, ſupervivunt. Sed hæc poſterior ad æternitatem via, Solis patet potentibus; eoque libentius iis ineunda. NULLUM EST ENIM MAGNO PRINCIPE, IMMORTALITATEMQUE MERITURO IMPENDII GENUS DIGNIUS, QUAM QUOD EROGATUR IN POSTEROS. Hâc ergò maxime Princeps ſi Temet regula metiris: & quantus ſis ipſe vides: & prævides, quàm longè ſuperfuturus. At nobis utinam ſemper porro præſens! Nam, quantum Te alii coram fruuntur: tantundem nobis per Tui abſentiam deceſſit. Si placidiſſimo tuo aſpectu alii, ſi gaudent alloquio: Nos exoculatâ, ſilente languemus aulâ. Si divina conſilia ab ore tuo felices excipiunt: quàm longè nos, quàm difficulter Delphos proficiſcimur! Dum alibi tuam ſpargis beneficentiam: illi in uſu, nos in votis habemus. Finge Tibi Famam, omnes ut ſolet, omnino domos patriæque angulos pervagatam, ex his, quæ

undique percepisset, commune istud, dum abesses, verbum referre: Quando Princeps noster, denuo noster? quid agitat, ut usque moretur? Exteros fata habeant, dum nos GUIDOBALDUM! Quibus verbis, quantum peccavimus, excessus desiderii fuit. In multitudine, in populo semper deprehenderis, quod condones. deinde calentes amantium impetus non excoquuntur. Cæterum sapientes, æstimatione communis boni privata sua vota vincunt: atque amabilem Domini vultum tantisper indulgendo, lucrari gaudia sciunt. lætius utique visuri post accensa desideria, & cum plenâ subactæ gloriæ copiâ redeuntem. de longo actionum aggestu quærentibus, & querentibus, expertissima omnium Ratisbona totum Pro-Cæsarem, vero isthoc dederit compendio: OMNIUM SOMNOS ILLIUS VIGILANTIA DEFENDIT, OMNIUM OTIUM ILLIUS LABOR; OMNIUM DELICIAS ILLIUS INDUSTRIA; OMNIUM VACATIONEM ILLIUS OCCUPATIO. Enimvero mitiori viâ officia tam ardua nihil progrediuntur. VIGILANDO, AGENDO, BENE CONSULENDO, PROSPERE OMNIA CEDUNT. Ista singularis, vereque felicitas Tua est Eminent[me] Cardinalis, eamque prosperrimo experimento Patria, & quantus circa, atque ultra illam est orbis agnoscit. Nihil scilicet, quantumvis difficile, aut magnum reformidare: fiducia successûs ex virtutum conscientiâ, adgredi, ac finire. NEMO EST ERGO TAM TUI, TAM IGNARUS SUI, UT LOCUM ISTUM POST TE CONCUPISCAT. FACILIUS EST, UT ESSE ALIQUIS SUCCESSOR TUUS POSSIT QUAM UT VELIT. Benignè accipies Clement[me] Princeps, plura nos eorum Tibi addicere, quæ olim alius, omnium optimo Principi. Siquidem cum vaticinii æstimatione in tuæ laudis auctarium veniunt: quòd, quæ ut diximus, omnium quondam Principum optimo, post tot ætatum inter-

valla

XII.

TANTI VIGILANTUR HONORES.



Burck: Schraman. d:　　　G: And: Wolfg: f.

valla Tibi æquiſſimè conveniant. Et ſicut integerrima illius virtus priorum omnium Imperatorum eo uſque celebrem memoriam oppreſſit: ita Tu ONERASTI FUTUROS PRINCIPES, SED ET POSTEROS NOSTROS. NAM ET HI A PRINCIPIBUS SUIS EXIGENT, UT EADEM AUDIRE MEREANTUR: ET ILLI, QUOD NON AUDIANT, INDIGNABUNTUR. Equidem nec iſte terrarum orbis, vix etiam pòſt victurus, pari merito tam exporrectam de alio prædicabit munificentiam, tam munificam comitatem, tam comem facundiam, tam facundam potentiam, tam potentem rerum quarumlibet expeditionem, tam expeditum conſilium, tam conſultam ad feliciter quæque peragenda conſtantiam; poſtremò cuncta illa, ad quæ domi, aut foris, præſertim negotioſiſſimis iſtis in Comitiis prorſus unicus inveniris. Sed neque ALTITUDO INGENII INCREDIBILIS negotium aliud ſuſcipere debuerat, niſi quod non eſſet aliorum modò viribus, verùm etiam fide maius; ſoli nempe pars ſibi. quò, cùm cæterorum ingenia opprimerentur: tuum tamen laboraſſe videretur; ac perinde tanto ex opere ultra præſentem famam, & à poſteris longiſſimam laudem peteret.

Grande iſtud ſolatium eſt, in publica fatigatis: XII quòd SUUM CUIQUE DECUS POSTERITAS REPENDET. Unde Tu præquam alius ullus, gratæ quidem olim memoriæ ſecurus es; ob meritorum autem magnitudinem infinitus. Ea quondam niſi patrios fines exceſſiſſent: tametſi parva nequiiſſent, coërcita tamen crederentur. nunc quoniam totum orbem occupavêre: apparet, quantos, & quamdiu obligare potueris. Non autem eſt, ut tantis beneficiis ita ſerò, atque in umbras ſua præmia differamus. tametſi modeſtia tua necdum cogitet, quæ plurimorum ambitio nec expectare poteſt. Certè HORUM UNUM, SI PRÆSTITISSET ALIUS, IAM DUDUM ILLI RADIATUM

CAPUT,

caput, et media inter Deos sedes auro staret, aut ebore. Atqui isthoc etiam honore Tu plus uno gradu, non abes. tantillum nempe restat, ut sis Sanctissimus. Cùm enim neque sacras, easque maximas curas à summo Imperii gubernaculo sepofueris; adeóque utrisque pariter insueveris: quidni & supremas Ecclesiæ dignè modereris? Hac de causa Sanctissimus rerum arbiter Purpuram Cardinalitiam superjecit Imperatoriæ: quòd utramque scilicet, paribus ferres humeris. Id decus, utique omnium summum, quia nullo, nisi meritorum respectu, ab utroque Summate Tibi collatum est: ea quoque pro summis agnoverint oportet. Reverâ summus Pontifex sublimiùs Te evehere nullo modo potuit, quàm constituendo, ut Idem post ipsum esses: Cæsar autem; ut simul cum Ipso esses, sive Alter-Ipse. Adeò commensa igitur omnia summa ratione gesta, fortuna sequitur. In quâ dum Te primum conspiciebamus, quàm gloriosa simul eorum omnium, quæ feliciter egisti, mentibus nostris imago obversabatur? quantumcúnque gratiæ, meriti, gloriæ in Te refulserat: id omne nostrum, & nos ornare lætabamur. Quidquid nunc gratitudinis tot aliæ Provinciæ Tibi obligatæ sunt, id quóque debitorum nobis in commune Tecum vindicamus. Verùm pro eo, quòd propter Te quidem omnia nobis debent, nihil, quàm Te deposcimus, in quo nobis omnia sita sunt. omnia proinde solvent, quando Te solùm, (utinam quàm proximè!) restituent. Et quanquam nihil à pristinis moribus mutatum Principem recepturi, novis tamen gaudiis ab hactenus dilato aspectu cuncti complaudemus. Tam æqualis ab adventu tuo lætitia percipietur, quàm omnibus venies. Tunc denique Salisburgum Ratisbonâ, illis negotiis nostra; tunc iis, quos alibi amasti, & quidquid laboris aut liberalitatis impendisti; tunc toto Imperio, quando rediveris, nos

potiores

potiores videbimur. Publicam hanc lætitiam optata ſpes alit: futurum ſcilicet, ut poſthac à nobis non abſtraharis. Primò enim, cauſam publicæ pacis, illo utique modo hactenus egiſti, ut eam quàm proximè peregeris. atque adeò tam ſimilis cauſæ, quàm talium Comitiorum impoſterum neceſſitas extincta ſit. Deinde pars utraque hunc in apicem veniſtis: ubi Tu ſupra nil mereri, Maximi Pontifex & Imperator ultra honorare non poſſent. Quid nos humilis, impar turba jam conferemus? Animos. quos multi multos, tamen erga Te unos habemus, conſtantíque fide amantes. tanto Cardine clavum firmiſſimum: & quo Hercle tota noſtra fortuna perpetuò vertatur benè. Licet popularium quidem affectus ſinguli, quid Principem juvent? univerſi tamen res una omnium huic ſunt præſtantiſſima. Ex iſtâ ergo animorum unione omnem Tuam felicitatem gratis junctíſque votis Tibi perpetuam congratulari voluimus. Neque enim vellemus, niſi grati: & congratulari, niſi unanimes, non poſſemus. quomodo autem ex æquo unanimes? niſi omnia Tua merita in omnes, velut in unum; atque adeò ipſa omnia unum, ſed immenſum eſſent. Ita agnoſcimus, ac profitemur. tanto propterea diligentius curaturi, ut quamdiu meritiſſimâ iſthac in Purpurâ nobis, O quàm diutiſſimè! præfulgebis, nullâ unquam in Te culpâ palleamus.



